



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 7. Philemonis triplex Baptismus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

tribulationum illum poterit abluere, aut aqua baptismi, si nondum sit ea tinctus: etiam si malus, si cæcus in fide, solem diuini luminis super eum oriri faciet, cum minimè sperabit. In Genesio discat, animarum nostrarum Pastorem Christum IESVM sæpe ouem ex ore lupi eripuisse.

§. VII.

*Philemonis triplex baptismus.*

Quantus autem sit amor succurrendi in Deo, præsertim per baptismi sacramentum, quod de medijs necessitate est, ita ut, sine eo, vel in re, vel in voto, suscepto, saluari nemo possit, ostendam alio luculentiore exemplo, vbi legimus, & fluminis, & flaminis, & sanguinis baptismum, in vno homine, confluxisse; quorum etsi baptismi singuli suffecissent, voluit tamen omnipotens Mundi Gubernator declarare, aliunde desertos à se non desereri; & quo pacto possit *super iustos* vtilissimè *pluere*. S. Philemon tactus cœlesti lumine, Christum vltro profitebatur, & pro eo mori desiderabat. Stabat iam Martyr ad tribunal, & sedebat Præses tyrannus. Ille damnari optabat, iste cupiebat absoluere reum. Quare Philemoni obicit, frustra illum esse, cum neque Christia-

Laurent.  
Sur. tom.  
6. die 4.  
Decemb.  
in vita eius c. 32.  
ex Metaphrast. &  
Aloys.

nus quidem omnino factus sit, neq; baptismum accepisset. Hæc aliaque multa, cum effutisset Præses, è multis paleis paulum fructus collegit. Immo quasi oleum flammæ subministratum esset, ita diuino amoris igne exardescens Philemon exclamauit. *O ignem spiritalem*, inquebat, *qui accensus es, in meis precordijs! ô quantum tibi debeo, ô Præses, quod me etiam inuitus maximis affecisti beneficijs sacrum baptismum in memoriam reuocans.* His Præsidem cum allocutus esset in media turba consistens, *Rogo vos vehementer*, exclamauit, *Si quis inter vos præest Christianis, & contemnit tormenta, propter pietatem, adscito, & me impertiat baptisate.* Dixit, stetit, expectauit; nemo vnus prodiit, qui periculum auderet cõtemnere tam præsens. Postquam igitur vidit, omnes timore victos silere, neque opis quidquam in homine vllõ esse, calidè lachrymans, in hanc vocem erupit: *Deus meus, Christe, qui me benigne adspiciens à profundo errore reuocasti, ne sic me despicias diuinum baptismum minime assecutum.* *Sed quouis modo ostende mihi sacerdotem & aquam, à quo, & in qua, similiter atq; alij Christiani, baptizer.* Vix ea dixerat, cum nubes, densa cœlum contraxit, & è sublimi se se de-

mittens stantem medium circumdedit, effu-  
sóque imbre, eum abluit, Christo ipso ce-  
tera ad baptismum necessaria faciente. Mox  
nubes, officio hoc peracto, se se postliminò  
in altum recepit. Martyr autem, in oculis  
omnium, caelesti rore baptizatus, *Vobis in-*  
*quit, omnibus videre licuit, qui Christiani qui-*  
*dem estis, nondum autē vultis manifestam esse*  
*vestram pietatem, quemadmodum, cum nul-*  
*lus utiq; ad me ausus esset accedere, ipse veniens*  
*apertè Domin⁹ me maximo dono impertyt bap-*  
*tismatis. Videte ergo, ut turpi & illiberali ti-*  
*more liberemini. Quin etiam tu quoq; aspice,*  
*Præses, relictâ, qua nihil habet utile, insaniâ:*  
*cognosce, cuinam Deo te ipsum, absq; ratione fe-*  
*ceris inimicum, & quemadmodū, eo Iudice, sis*  
*luiturus poenas. Ad hunc modū triplici bap-*  
*tismo candidus ad cœlestem coronam Phi-*  
*lemon est promotus. Defuit illi, in terris,*  
*aqua; missa est de cœlo: defuit homo, qui*  
*baptizaret; adfuit Deus, qui baptizavit.*  
*Magnū hinc & solatium capere possunt pu-*  
*fillanimes; & documentū negligentēs. Pu-*  
*fillanimes quidem, qui sæpe nimis sunt an-*  
*xij, verentes, se aut omnino, aut certè non*  
*rectè esse baptizatos. Ament Deum super*  
*omnia: detestentur super omnia peccatum:*

dicant ex animo : *O ignem Spiritalem, qui accensus es in meis precordijs ! & confidant, Deū ad futurum, atq; eos, per hunc ipsum baptismum Flaminis, saluaturū. Negligentes autem discant baptismum æstimare. Suffecisset Philemoni Deū tantopere amanti baptismus Flaminis : suffecisset tanto martyri baptismus sanguinis ; & tamen Christus baptismum Fluminis ei vnà impertijt, vt humanam socordiam corrigeret, quæ sæpe parum pensi habet, à qua obstetrice, filij, siue in Dei, siue in Diaboli nomine, baptizentur. Et tamen, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.*

## § VIII.

*Ad Confirmationis sacramentum chrisma diuinitus augetur.*

Woltan.  
Wintou.  
in vita. S.  
Ethelov-  
vvolodi  
c. II. &  
Sur. tom.  
4. die 1.  
August.

Hoc prouidentissimum diuinum iudicium, in alijs quoq; Sacramentis sæpe eluxit. Ex Woltano Wintouienſi monacho constat, clericum, cui à S. Ethelovvoldo Wintouienſi Episcopo sacri erat Chriftatis cura demandata, minùs aliquando olei, quàm res posceret, accepisse, atque illud ipsum, in itinere amisisse, mirabili Dei artificio, parum auferentis, vt multum redderet. Itaq; Episcopo pueros puellàsque ( neque enim in

viri-